

DEUTSCHE
BIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT

COGITATIONES MORALES 29
DE 1715. 12.
INÆQVALITATÉ
HOMINVM, 17.
QUAS
AVSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII,
FRIDERICI AVGVSTI, ↗
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI, ETC.
IN ACADEMIA VITTEMBERGENSI
D. OCTOBR. A. MDCCXV.
H. L. Q. C.
MATERIAM
DISPVVTATIONIS PVBLICÆ
ESSE VOLVNT
PRAESES
M. CAROL. FRIDER. KRANEWITTER
CHEMNIC. TH. C.
ET RESPONDENS
VVENCESLAVS STVRTZ, BICINA-SILES.
THEOL. STVD.
VITTEMBERGAE LITERIS KREVSIGIANIS.

CODICATIOMES MORALIS
ET ATRIALE
MINISTERI

IN TECO DILATATIONE ET EXPANSIONE
ET IN PRACTICA

IN TECO DILATATIONE ET EXPANSIONE

CVm officia hominis erga hominem in tam bellico fere statu homini-
num, ubi alter alteri etiam amico derogare studet, dicidisse et ex-
plicasse, utilissimum sit institutum, non diu abhinc caput illius do-
ctrinae, de seruanda inter homines aequalitate, disputatione pu-
blica euoluere ingressus sum: Cum uero et haec regula non
sit sine exceptione, licet hic de Inaequalitate uerba facere, eamque suis
cancellis circumscribere, quo constet, in quantum eam exercere licet, parique
conueniat. Et quoniam primae tantum lineae, et stylo ad disputandi finem
apto, positae hic sunt, nolis, uelim, Lector, hic amplam splendidamque qua-
tere tractationem. Fiat feliciter! Incipit

IN AEQUALITATIS HVMANAЕ IDEA.

APHOR. I.

*Quoniam omnes homines simillimam fere originem atque finem, uolen-
te creatore, habent, aquales similesque sibi ipsis sint, cœu una species,
necessæ est, idque ita, ut qua essentiam suam internam semper, qua
communiora uero et præcipua accidentia externa plerumque conueni-
ant, omnesque hinc in agendo aequali iure gaudeant.*

§. I. Quando afferimus, homines inter se esse aequales seu pari-
ter se habere, non contendimus, eos tales per omnia interne externe-
que esse, etiam minutissima (*a*); nec, quod tantum in aliquibus qua-
litatibus pares sint, u. g. laetitate cutis, certitudine mortis, erecto
situ (*b*); sed eos in partibus et attributis essentialibus, simul sumtis,
imprimis in iure agendi, pares esse contendimus.

§. II. Haec tam notabilis aequalitas a uoluntate creatoris depen-
det, qui classes creaturarum suarum, alias innumerabilem, in hoc
mundi theatro constituit, quo homo spectator admiraretur res et
multas, et, melioris perceptionis gratia, non semel, sed in multis in-
diuiduis obuias. Is etiam humanam speciem, exactissime similem, con-
didit. Hinc originem iis attribuit tam constantem et uniformem,
ut non possit non homo ex homine similis produci. Debebant etiam
homines tam belle conuenire, siquidem ex constitutione huius uni-
uersi colligitur, eos absque detrimento tranquillitatis et ordinis pu-
blici ad diuersos fines non posse esse creatos: si ergo ad eundem

A finem

(*a*) Nam uel facierum inspectio, uel staturarum dimensio nos refutaret.

(*b*) Ita enim in hoc uniuerso, ubi similitudo creaturarum ingens est, sui
simile homo extra hominem haberet ubique.

finem (*c*) creati sunt, necessario similiter etiam formati esse debent, ne imparitas naturae, capacitatis morumque, eos disiungeret, aut impedit.

§. III. Nec deprehendis, nisi aequalitatem, sive species in hominibus partes et attributa essentialia, humanitatem constituentia, sive etiam praecipuas affectiones accidentales. *Corpus* nostrum eadem primordia formamque in corpore materno capit, eodem modo ibi incipit uiuere, expandi, dein prodire, nutriti, crescere, moueri, agere, ab externis rebus affici, tandem mori. Et quid uerbis opus? cuique, sive ruditer, sive anatomice inspiciat hominem, et nunc hominem cum homine, nunc cum bestia aliqua re conferat, id patet. Nec *anima* differunt, eiusque operatione. Processus enim sentiendi, sciendi et uolandi (*d*) ubique idem est: et eodem facto initio, eodem modo proceditur. Quod uel exinde manifestum est, quod quilibet perfectus homo quaslibet ueritates, recte manuductus, capere, et affectus iuxta eas concipere potest; item, quod homines, in uariis per orbem terrarum regionibus, tamen, ubi recte cogitant, et uolunt, belle in ueritatibus et placitis plurimis conspirant.

§. IV. Miram quoque hominum aequalitatem uideas, si eos conferas iuxta ea, quae eos externe circumstant, et attingunt. Eodem modo nutriendi fere utuntur, eodem ære, sole, mundi habitaculo, iisdem fere rebus creatis, eadem fortunae mutabilitate, et imprimis sociis eiusdem speciei; quibus alias status eorum exterior varie constituitur. Cum autem non cuique eadem res et semper adsint, status hic externus non in singulis subiectis idem actu est, sufficit tamen, quod esse possit, occasione data.

§. V. Ex hac interna externaque aequalitate hominum sequitur, quod quilibet etiam in agendo pariter ualere, et ordinarie eandem agendi

(*c*) Omnium optime uero ex Script. S. cognoscitur hic esse: tractatio rerum creaturarum talis, qua celebretur summum Numen, et ipse homo uitaque socii commode conseruentur, u. Genes. I. u. 27. sequ.

(*d*) Quem sic accipe: Anima rebus perceptis adaequatam concipit ideam, ex duabus ideis compositas propositiones fruunt, e pluribus uero, inter se collatis, nouas plane elicit propositiones, ex multis dein ideis et propositionibus scientia, quae de rebus habetur, constituitur: Mox ubi aliiquid cognouit bonum esse, id sibi uel applicare, ope uirium corporalium, conatur, uel auertere, idque eo maiori feruore, quo amplior illius boni uel mali cognitione; ex repetito uero actu hoc uolendi inclinationes et mores finguntur.

agendi latitudinem seu (1) ius, eandemque determinationem seu (2) obligationem habere debeat, aequa ut alter; quea aequalitas *moralis* est. Eandem enim personam liberam, et in eundem finem sustinendam, quilibet a creatore accepit, ergo etiam eadem licentia et ius, ad finem obtainendum, nec minus eadem legitima et fini bene attemperata actionum mensura, ei tributa praesumuntur. Ut proinde aequali omnes iure et obligatione agere debeant, siue extra, siue in societate cum aliis uersentur. (e)

APHOR. II.

Non obstante hac generali hominum aequalitate, omnino tamen inaequalitas aliqua concedenda, extraessentialis tamen; cum tanta rerum in hoc uniuerso, quae hominem circumstant, uarietas, eum facile extrinsecus uariare possit, hominesque ipsi aliam a creata faciem successu temporis sibi induerint, ob quas causas homo saepe etiam in agendo praefat alterum: Hinc si iuxta primum adspectum iudices, aequalitas tantum non abesse uidetur, quam tamen sub larua externa sedulo inquirere fas est.

§. I. Homo, cum pars huius mundi sit, in quo tanta contiguitas rerum uniuersim est, ut res rem quotidie tangat, afficiat, alteret, necessaria est, ob uarietatem rerum naturalium circumstantium, et in eum influentium, uarie quoque extrinsecus temperetur, imo innumeris modis: et quam non ipse homo, actionibus motibusque suis et usu, dispositionem suam externe uariare potest? Non dicam de eo, quid homo in hominem ualeat statuere. Haec omnia ita alterant hominem, ut nullum uideas, qui non communem illam hominis personam prae aliis uarie modificatam gerat. (f)

A 2.

§. II.

- (e) Fluunt hinc axiomata practica: 1. Quod aliis incumbere uel licere putas, id etiam tibi putato. 2. Omnes homines ut aequales tracta. Nempe: 3. Quod tibi uis fieri, alteri feceris; uel secus. 4. Ne superbia uel iniuria alii minus tribuas, quam tibi. 5. Quod tibi datur uel praefatur, retribue re uel opera aequaliter, aut, si non potes, grato facias animo. 6. Aequaliter inter plures distribue. Quae hoc Aph. dicta sunt, pluribus leguntur in disp. nostra de Seruanda inter homines Aequalitate.
- (f) Compara quaeſo filios duarum matrum; incolas diuersarum regionum; agricultorū et regem; nobilem et opificem; diuitem et pauperem, uel breuerter: hominem et alium hominem. Non defundit cuique peculiares nota, quibus 100000, homines, unum ab altero, sine confusione distingue quæs.

§. II. Verum quemadmodum ouum ouo simile est, siue sit crudum
f. coctum, siue pictum f. album, ita et homo manet homo et homi-
ni similis, si uel maxime uarietas huius mundi ipsi aliquid praet
abstulerit uel tribuerit; natura humana ubique salua est, nec homo
quis eo ipso homo esse desinit.

§. III. Cauendum itaque, ne externo habitu statuque, qui magis in oculos incurrit, quam interna essentia, homines solum aestimes, et inaequalitatem eorum metiaris; falleris enim. Vulgus tamen imprudens quotidie ita iudicat, et hominem homini praefert saepe nimis ob externam aliquam imparitatem: Prudentis uero est, uti in omni cognitione rerum, ita et hic larvam detrahere, et nudos ita homines iuxta interiorum statum aestimare et cum aliis conferre. (g) Nos inaequalitatis rationem uidebimus penitus.

APHOR. III.

Exerit se illa inaequalitas (1.) in ipsa hominis natura, seu anima et corpore, quatenus nempe externae et diuersae causae, quae non cuius subiecto eadem accidunt, diuersum quoque in eo effectum relinquent; ueluti corpus quodammodo uariare possunt accidentales originis et structurae causae, item alimento ror, loci, motus, actionum, aetatis, impressionis, a rebus uicinis uel se ipso factae, uarietas; quoad animam uero et potentias agendi, primo quidem structura et temperamentum corporis, dein consuetudo, rerum sensibilium copia, cultura, institutio, conuersatio etc. multum differentiae et physicam Inaequalitatem producere ualent. Quae tamen cum non essentiam ipsam hominis mutet, sed eam saluam uarie tantummodo temperet, superficiaria merite dicenda et non extendenda nimis est. §. I.

(g) Grauter hanc iniustam hominum aestimationem accusat Michel de Montaigne, dans ses Essais, l. I. chap. 42. C'est merveille, inquiens, que faus nous aucune chose ne l'estime que par ses propres qualitez. Nous louons un cheual de cequ'il est uigoureux et adroit, non de son harnois; un leurier de sa uitesse, non de son colier; un oiseau, de son aile, non de ses longes et sonnettes. Pourquoi de memes n'estimons-nous un homme par ce, qui est sien? Il a un grand train, un beau palais, tant de credit, tant de rente: tout cela est autour de luy, et non en luy. Vous n'achetez pas un chat en poche etc. Pourquoi estimant un homme, l'estimez vous tour enueloppé et empaquette? etc. Il le faut iuger par luy mème, non par ses atours. Mefurez-le sans ses eschaces; qu'il se presente en chemise: Quel corps a-il? Quelle ame a-il? etc.

§. I. Varietas atque mutabilitas huius mundi (de qua praeced. Aph.)
causa est huius inaequalitatis physicæ, et incipit in hominem agere a
prima conceptione (*b*) et natuitate, pergit in reliqua uita, et desinit
cum homine. Alicubi causas facile deprehendere potes, ubi extan-
tiores sunt et generaliores; (*i*) alibi uero ita subtiliter et obscure
agunt in corpora et mentes hominum, ut solertissimo etiam physico
uel moralistæ non faris pateant, si imprimis loquamur de earum for-
mali operatione. (*k*) Interim etsi non satis, generaliter tamen et ali-
quatenus patent.

§. II. Variatur itaque anima corporisque, sed quodus suo modo:
Corpus in quantitate, figura motuque speciali (generalia enim salua
manent et immutabilia); Anima uero in habitu suo et potentiis scien-
ti, uolemdi, agendi. Hic enim notandum: Homo non aliter cogi-
tare et agere potest, quam organa corporis, ad hos actus necessaria,
id permittunt, quae tamen ob peculiarem structuram et temperamen-
tum facile diuersa esse possunt: Hinc non potest ubique esse paritas
rogitationum et actionum, et ex harum multitudine, paritas scientiae,
dexteritatis, inclinationum, capacitatibus etc. In causa tamen hic etiam
similis esse possunt rerum externarum, quae sensibus percipiuntur et co-
gitationem pariunt, praesentia, quae non cuique eodem modo et co-
pia contingit; addere diligentiam curamque in cogitando et cognoscen-
do diuersam, item institutionem, conuersationem, etc, quae omnia di-
uersitatem ingeniorum, (*l*) habituum, studiorum, affectuum, mo-
rumque caufantur, ut mirari uarietatem fas sit. (*m*)

§. III. Haec si quis cogitet, seru dixerit, homines omnino dif-

A 3 ferre

(*b*) Quam non hominem, in utero adhuc latenter, imaginatio materna ab aliis
distinguere potest, imprimendo notas uel inclinationes prorsus peculia-
res? Et quam notabilem diuersitatem non imprimit natura, in opere suo
ibidem aberrans, in monstros, mutilibus?

(*i*) Ita recte tribuimus patrio cuiusque aëri, coelo, uictui etc, si tam notabili-
ter differant plerunque corpore Hispanus, Gallus, Germanus, Heluetus,
Russus uel Æthiops.

(*k*) Quis auderet determinare omnes speciales rationes causasque, cur hic sta-
tura eminentiori sit, uel et stupidior, quam alter? Et tamen subsunt cau-
sae naturales.

(*l*) Vid. Autt. hac de re, speciatim DN. D. Brendelii nostri disp. de hoc ar-
gumento; et de ingenii morumque uarietate, gentibus quibusdam pecu-
liari, Barcl. Icon. Anim.

(*m*) Hem! Vir turo quid praefat? Terent. Phor. act. 5.

ferre specie, (n) seu ita, ut homo sit commune nomen, sed diuersas classes sub illo contineri, ueluti sub nomine uis continentur classes olorum, anserum, ciconiarum, coruorum etc. (o) Adeo differre homines uidentur. Sed uidentur tantummodo. Nam quam maxime etiam uariant, iis tamen singulis conceptus uniuersalis hominis, (p) et humanitas competit. Dic mihi exemplum in contrarium. (q) Accidentia non uariant rem, et quae adesse uel abesse possunt, uel et aliter adesse, illa non sunt essentialia.

APHOR. IV.

Deinde (II) inaequales etiam sunt homines statu externo et iis rebus, quae circa eos sunt, uelut, loco, tempore, rerum fungibilium, et ad uictum amictumque necessariarum, apparatu, actionum euentu, itemque sociis; quam inaequalitatem (fortunae dictam) aut ipsi, aut alii homines, aut casus et fortuna iis afferunt; quae eo minus est essentialis, quo minus animam corpusque directe tangit, sed circa caest.

§. I. Hominem nude in sua natura tantum considerasse non sufficit, quia necessitas et commoditas uitae humanae etiam externum apparatus et statum aptum requirit. Ita pudor, ac securitas contra coeli terraeque iniurias, amictum et habitationem; uitae conseruatio uictum et medicamina etc. actionum successus idonea media et instrumenta, circumstantiarumque in agendo fauorem; socialitas naturae

(n) Vti loquitur DN. Thomasius, Fund. I. N. l. I. c. I. §. II. et alii cum eo, ueluti DN. Boehmer. in Iure publ. uniu. p. gen. c. I. §. 2. et prior quidem aegre admittit Scholasticorum sententiam, qua hominem infimam fecere speciem: uerbis tamen facilem se hic fore simul pronuntians. Nec alio, nisi oratorio modo, ita loqui quis cum eo potest.

(o) Ita fere loquitur Montanius c. I., magis tamen ut Orator, quam philosophus: Il n'y a plus de distance de tel a tel homme, qu'il n'y a de tel homme a telle bestie.

(p) Qui hic est: Homo est animal huius uniuersi praecipuum, ab omnibus aliis animalibus peculiari erectaque figura distinctum, et anima rationali instructum, quo sciens admirationem et cultum Dei, sive et mundi conseruationem operetur.

(q) Etiampi quis corporis figura ualde ab aliis differat, eum tamen, primo intuitu statim, dices hominem, non aliud quid. Et si quis diuerfimode vult, diuersas tantum res vult, non diuerso uolendi processu, et si persuades rite, aliud uolet. Scientia differt? Scias, eum non sciendi modo et processu, sed gradu et obiectis differe.

turæ et indigentia socios uitæ etc. requirit. Horum respectu homines etiam maxime differunt. (r) Vnus tamen gradu fortunæ alterum superat. (s)

S. II. Ratio rei est: Causarum fortuitarum fortuitus etiam et inconstans effectus est. Res, quae hominis fortunam constituant, per mundum sparsæ, nec cuique obuiæ, ab avaris detentæ etc. sunt. Homines ipsi, alius fortunam augentes, varie ualent et uolunt. Eventus rerum naturalium et operationes non semper conueniunt. (t) Homo ipse fortunam suam sibi varie causatur. (u)

S. III. Quicquid uero differentiae sit, nec animam, nec corpus hominis mutat, quia adesse et abesse potest; imo nunc adest, nunc iterum abest, nec tamen humanitas corruit aut definit. Picturæ tantum sunt.

APHOR. V.

Ita inaequales ratione naturae fortunæque homines necessario interdum inaequali iure et obligatione agunt, si fini hominis (v) obtainendo id magis conducat; et quo magis, in hoc casu, aliquis natura et fortuna inaequalis est, eo magis ius uel obligationem accipit uel amittit. Quæ inaequalitas moralis dicitur, et imprimis huius loci, magnæ que utilitatis est.

S. I. In agendo omnes homines aequales sunt ordinarie eatenus, quod quilibet pari iure et obligatione instructus sit ad finem suum obtinend-

(r) Ita uestitus, habitationis, copia, splendore, modo, alius alium uincit; alius diues facultatibus, alius pauper; alius laute uiuit; alius misere; alius agit feliciter, alius infeliciter; alius haec fata habet rerum et actionum fuerum, alius alia; hic sociis multis, utilibus, fauentibus instructus, ille secus. etc.

(s) Pro nostro seculo ut loquamur, is fortunæ optimo gradu constitutus est, qui mediocribus bonis ornatus est et libertate præ aliis gaudet latiori, quales Montaigne putat esse nobiles, et recte quidem: Je ne ueux, de se aiens, ny debattre avec un huissier de porte, miserable inconnu; ny faire fendre en adoration les presles, ou ie passe; ie suis duir a éte moyen, comme par mon fort, aussi par mon gout. Toute constitution naturelle est et iuste et aisée. L. 3. ch. 7.

(t) Te flamma rebus tuis priuat, aut largitas agrorum tuorum cumulat, alios fecus.

(u) Ita sapiens pol ipse fingit fortunam sibi. Plaut. Et Philosophus est magis potens, minus tristis magisque laetus, aiente Tzschirnh. Med. Ment. p. I.p. m. II.

(v) Nempe cultui Numinis, siue et aliorum conseruationi, quantum potest fieri, commoda. uide supra.

tinendum. Et haec generales propositiones, ex fine illo fluentes, omnibus communes sunt: 1. alium in cultu Dei suique conseruatione ne impedi, sed potius iuuia. 2. quaecunque ad cultum Dei, tuique et aliorum conseruationem faciunt, ea fac, nec fecus. Hoc ipso conueniunt Rex et mendicus; sapiens et insipiens; diues et pauper, etc.

§. II. Hoc generale ius et obligationem quilibet habet aequaliter: Verum ubi ad modum deuenitur, quo illa obligatio et ius exercetur, ordinarie quidem eadem actio uni licet et incumbit aequa ut alteri: (x) Sed ubi in actione aliqua concurrentium unus natura uel fortuna est inaequalis alteri, et finis salutaris aliter commode obtineri nequit, recte unus p[ro] altero inaequali iure uel obligatione agit, (y) quantum hic requirit finis. Haec normae regulaeque uice hac in causa notentur.

§. III. Ratio, hanc inaequalitatem suadens, prima quidem est, quod finis hominum obtineri sine ea commode nequeat. Altera est, quod naturae cedendum sit; ubi ea aliquem physice inaequalem fecit, et uel donis, uel defectibus affecit; tunc enim ei uel obligatio uel ius simul datum censemur. (z) Dein, et facto humano,

sive

(x) Modus alios iuuandi quoque est dare de suo; Ergo ordinarie dat unus ad alium iuuandum tantum, quantum alter.

(y) Salomo Rex et uidua illa *Marc. XII, 41.* sunt fortuna longe inaequales, ubi itaque cultus Dei promouendus, generatim aequali obligatione sunt; ubi uero in specie ad hunc finem est dandum aliiquid, ille necessario millies maiorem obligationem, et haec longe maius ius haber; ille plus dabit, quam haec. It. Maeuius et Titius debent se mutuo iuuare, et quidem aequaliter, i. e. ut unus alteri det, quantum accipit: Verum Titius non habet, quod reddat: Ergo Maeuius dare sine sumta retributio[n]e debet. Porro: Sapiens et minus sapiens eandem habent agendi libertatem, sed nonne finis, quem etiam insipiens intendere debet, melius obrineri potest, si cedat sapientiori? Vtique. Ergo cedat ei, quantum ad hunc finem necesse est, eumque tanquam hic superiorem colat. Hanc ob rationem non iniulta sunt, quae *Cicero* habet: Lex naturae, quae utilitatem hominis conservat et continet, decernit profecto, ut ab homine inertu arque inutili ad sapientem, bonum, fortēque virum transferantur res ad uiuendum necessariae; qui si occiderit, multum de communī utilitate detraxerit. *de offic. lib. III.*

(z) Coecum ubi natura facit, ei ius p[ro] aliis tribuit, ostiatim petendi; aliis uero obligationem hunc iuuare gratis.

sive iustum sive iniustum fuerit, aliquid dandum, cum infectum fieri nequeat, et tamen factum sit: Tribuet itaque ius uel obligationem, si finis aliter obtineri nequeat. (aa)

§. IV. Interdum inaequalitas naturae et fortunae lete admodum ius uel obligationem in hominibus parit; quando nempe eorum intermissio non ualde nocet fini hominum obtainendo. Tunc enim inaequalitas illa nihil fere insert, quam leuem aestimationem personae eius, quae praecipuum naturale uel fortunae habet, praestandam ab altero, qui id non habet; (bb) idque fieri debet signis externis uel ceremoniis, aestimationem hanc indicantibus, pro gentis cuiusque more. u. g. salutando, cedendo, praecedentiam concedendo etc. (cc)

§. V. Inaequalitas haec moralis totriplex est, quotupliciter inaequalitas naturae uel fortunae finem hominis inaequali in agendo iure obtineri iubet; ubi necessitas et commoditas hominum hoc non posculat, seruanda aequalites erit. (dd)

B

§. VI.

(aa) Etsi malitia hominum coecum fecit, nihilominus iurandus ille est.

(bb) Ita religiosus vir, qui me pietate superaret, ad finem suum non opus habet absolute praerogativa prae me; interim cum fini hominum non nihil conducat, virtuosos eminere, aliquanti per sum obligatus, ei cedere, et honorifice excipere. Si tamen non facerem, id uix exigere non posset.

(cc) Cicero in Cat. Mai. Haec ipsa sunt honorabilia, quae uidetur leuis ac communia; salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli: quae et apud nos, et in aliis ciuitatibus moratis diligentissime obseruantur.

(dd) Videamus praecipua et *generalia* exempla: 1. Pone ingenium et scientiam, contrariamque stupiditatem ignorantiam etc. aderit imparitas honoris, et, ut quis magis consulatur, quaeratur. 2. Pone prudentiam uirisque agendi, et contrarium: aderit ius prae aliis regendi, consulendi, rebus utendi. Sapientes ius in res prae aliis habere, ait. *Dioz. Cyn.* ap. Laerti. Τὸ δύνασθεν διάνοια προσέχειν, δέχονται Φύση, καὶ δεσμώτοις Φύση. Arist. pol. 2. Aderit ex altera parte obligatio ad seruendum, obediendum. Hinc Aristotelis illi fertu natura. Hinc maxime senum praerogatiuae. 3. Pone uirtutem, humanitatem, amabilitatem, beneficentiam, et contraria: aderit praeter aestimationem, diuersus cultus, secratio. 4. Pone praerogatiua *temporis*; prior tempore, potior erit iure: *fortis*; praferendus, quem fors praefert: *societas*; praferendus socius, cuius, amicus aliis: *opum*; et aderit ius alios sibi obligandi: *famae*; aderit aestimatio etc. Si quis mihi utilis sit, uel esse possit, licite eum aliis praefero, u. g. potentem, diuitem, amabilem.

S. VI. Eiusmodi inaequalitates iuris frequentantur inter homines quaedam, praeceteris eximiae, nempe: 1. in *patria potestate*, ubi filius ob debilitatem animi et corporis indigentiamque parentum opus habet consilio et auxilio; ac proinde parens ad finem hunc et praemii quasi loco dirigit actiones filii ad eius, tum et domesticam utilitatem, et si refragetur, cogit, ab eoque præterea honorem et obedientiam accipit; (ee) idque quantum ad hunc finem, (ff) et quoad, (gg) opus est. 2. In *statu herili et seruili*. Contingit enim nunc, postquam avaritia, et hinc rerum laboriosa acquisitione coepit, ut aliquis alterius opibus et in eius familia iuvare cogatur; submittere se itaque illi debet, et ad retributionem beneficij opera sua eum iuvare, quantum ad hunc finem satis est, (bb) et prout hero placuerit: qui, ut superior, ad obedientiam et reverentiam seruum cogere etiam potest. (ii) 3. In *prærogativa sexus*, imprimis inter coniuges. Foeminas debilioris (kk) esse præ maribus naturae, adeoque aliquando eorum opus habere consilio et directione, dubio procul est. Hinc sequitur quoque inaequalitas moralis, nempe cedere in aliquibus viro, (ll) ubi earum debilior

(ee) Videtur parenti hic magnam prærogatiā habere, et habet quoque, sed non frumenta, nec gratis. Omnia enim sunt ad finem filii salutarem, et ad retributionem aliqualem, patri debitam, quae alias raro satis fit, ita, ut, nisi *soegyn* esset et pudor, multi infantes a parentibus desererentur.

(ff) Contra finem est, si e.g. pater filio obtrudat artem, uel uxorem.

(gg) Crescente iudicio et viribus filii, decessere incipit imperium paternum, donec plane desinat; honor tamen, et interdum retributio, aeterna sunt.

(bb) Notetur: 1. Antiquo seculo multum iniuriaie seruis factum, quod hodie plerumque uitatur. 2. Nostri serui, prout opera eorum est aestimanda, proinde mercede et subiectione variant; et pactis plerumque libertatem suam restringunt.

(ii) Hoc præcipuum habet Dominus, ut superior in hac societate, fauore fortunae: ceterum, quantum seruus præfatur, tantum recipit.

(kk) Non tamen adeo debilis naturae fuit, ut plerumque putatur; aut certe non adeo debiles sunt per naturam, quales sunt tyrannide et suppressione tiribili, qui ipsis saepe præcludunt uiam, ad scientiam, uirtutem maiorem et dexteritatem perueniendi. Nulli præclusa (naturaliter) uirtus, (scientia) omnes admittit, nec censum, nec sexum eligit. *Senec.* Et passim fuere et sunt excellentes foeminae, u. *Les Dames illustres*, par L. Guillaume; Dn. Thomasii disp. de Foem. Erud.; Lehms galante Poëtinnen Deutschlands, etc.

(ll) Scire siuos modos matrona et foemina debet. Martial. l. 12. fin.

bilior conditio id postulat, et imprimis in coniugio cedere marito;
(mm) ubi tamen proprius earum finis id non necessario requirit, non
sine iniuria iis detrahitur ius. (nn) 4. In iure praecedentiae diversarum
rerum publicarum earumque rectorum; [oo] 5. In primogenitura
fratrum, [pp] et ceteris; quae hic ob paginarum angustiam aucta thesin
nostram explicare non possumus.

APHOR. VI.

*Deinde homines ipsi moraliter inaequales se faciunt, quando male, et
imprimis iniuriose erga alios agendo, deseriores abiectionesque sunt,
eoque inaequaliter tractari merentur.*

§. I. Habet humana natura suam dignitatem, quae in virtuosa-
rum actionum decore consistit, [qq] quam qui ipse violat, sibi im-
putet, si aliis minus malis hominibus posthabeatur. Et si quis
alium laedat, illius iuribus, alias competentibus, derogari uicissim
impune potest. Nam aequalitas hoc infert, ut uterque alteri suum
tribuat: Quod si igitur alteruter hue omittendo sive committendo
socium laedat, hic non tenetur ei omnia praestare, et praeterea etiam
derogare donec iniuriae acceptae satisfiat. Inaequalitatem iniustum,
quam ille primus fecit, hic adaequare alia inaequalitate potest, donec
aequalitas redeat.

§. II. Patescit hinc, quid in hominem malum et iniuriosum licet
contra aequalitatem, nempe 1. Aestimationis diminutio, quam turpi-
tudine facti meruit. 2. Omissio officiorum alias ipsi debitorum, et reci-
proca laesio tanta, quantam passi sumus.

B 2

§. III.

(mm) Cum consentiat lex diuina pos. Genef. 3. distingue hic, quid iuris et quid facti sit. In statu presso eas uitere con-
(nn) stat; viui tenent principatum; et quam nunc sint uiliores (inter ipsa
blandimenta masculorum) in familia, educatione, curia, foro, actibus
publicis et uirilibus, etc. notissimum cuique est. Vtrum uero semper
aequitate, an uero consuetudine, lege ciuili, vel plane iniuria fiat, non
difficulter in singulis iudicari potest, si thesis nostra applicetur. Vid. earum
miferentes: Lud. Viues, de Foem. Christiana, H. C. Agripp. de praeced.
Mul. D. I. P. Lotichius von Bollkommenheit des Frauenzimmers / et
DN. Thom. c. l.

(oo) Breuibus hanc rem percipere, sis, potes in DN. Bochmeri c. l. p. g. c. 2.
§. 3. et p. sp. l. 1. c. 2. §. 22.
(pp) Paucis hoc ius describit Hob. de ciue. III. 15. etc.
(qq) Vid. Velthuyssi disp. de dignitate hom. in opp.

§. III. Hic uero nil sine iusta causa et sine fieri debet. Finis ergo sit. 1. Laudentem et peccantem ad frugem reducere. 2. Inuiriā eius auertere. 3. Illatae quaerere satisfactionem. Quae ab hoc Icōpo aliena est inaequalitas, illicita est, et speciatim, quaecunque laesio maior est, quam ea, quam accepi aut metuere possum, illa non licet. [rr]

§. IV. Hinc si quaeratur: An Indi aliiue, qui moribus barbaris uiuunt, et u. g. carne humana uescuntur, ui sint inuadendi, et, caedibus quoque factis, subiugandi ab Europaeis? Negamus. Nam illi nos suis moribus non laudent, ergo bello nos nihil repetere possumus: dein illi suo modo commode uiuunt: ergo nobis non absolute opus habent, aut si habent, aliter prodeesse iis commode non possumus, nisi consilio; ui eos magis perdimus. (ss)

APHOR. VII.

Praeter hanc a natura, fortuna, delictoue descendenter inaequalitatem moralem, alia quoque uoluntaria existit, ubi homo sponte alteri concedit, aut ita saltē, ut sufficientem compensationem non recipiat.

§. I. Ea libertas homini omnino concedenda, ut de proprio suo iure, in aliorum gratiam et commodum, aliquid remittat, dummodo illi non extrema inde calamitas ueniat, aut tertii noceatur iuri. Volenti ita non fit iniuria.

§. II. Eiusmodi inaequalitas se exferit, ubi quis alteri exhibet et praefat, quae alter perfecte et iure poscere non poterat; aut remittit, quae ipse poscere habebat. Veluti fit in donatione, complacencia seu condescendentia. (rr)

§. III.

(rr) E. g. fur merito sentit hanc inaequalitatem, ut 1. Contemnatur prae aliis; 2. Si ueniat nocte auferendi gratia, ut ictibus, aut alia ui, me ab eo liberem. 3. Si abstulit iam, ut, quae ei debeo, retineam; aut, quae possum, ei auferam, ad damnum resarcendum. Verum iusto plus ipsi derogabis, si gallinas abducturum lethali ictu impidre uelis, aut si auferentem thaleros ducentis multare uelis, nisi poenae gratia plus refumas; quod tamen nimium esse non debet, et hodie lege ciuili restrictum est.

(ss) Vid. *Verulam. de Bello sacro*, et alios, apud *Becmannum*, diss. Acad. IV. c. 3.

(rr) Huc refer, si ciuitas libera alteri uoluntarie concedat sine causa precedentiam, aut patiatur eam ab altera exerceri; idem statuendum de foeminarum apud nos prae uiris praecedentia. Notandum hic, quod, qui alteri semel concessit aliquod ius, id non tam facile recipere queat, quam dedit, cum non semper commode fieri queat. Viscapionem hinc iura ciuia restringunt.

§. III. Quandoque tamen, (imo fere dixerim semper) aliquid re-
poscit donans ab altero, sed non tantum, quantum concessa res
communiter aestimatur, uelut gratitudinis et reuerentiae signa, uel
dimidium pretii: Hic ergo quoque inaequalis altera pars est. Vbi uero
fatis redditur, ibi potius acqualitas est, uelut in commutando fit.

APHOR. VIII.

Vtimum tandem manum inaequalitati suae morali homines admoue-
runt, quando in ciuitatem coiuierunt, ibique summo imperanti, ut in
se suasque res, ita et in eo potest atam tribuerunt, ut partim ipse regens
(et qui eius uicem gerunt) inaequaliter maior sit parentibus: partim
ut inter ciues etiam a. hactenus recensitos inaequalitatis gradus retineat
et dirigat: tum et β. nouas (adeoque ciuiles) superaddat, prout fini
Reipubl. obtainendo congruit; acquitate naturali non plane neglecta.

§. I. Ciuitas nihil aliud est, quam coetus plurium hominum, ab
imperante aliquo prudenti ordine digestorum, arctioris, iustioris, tu-
tioris, commodiorisque cohabitationis gratia. Cum ergo ciuitas tam
arcta, et tam multorum hominum (qui iuxta superiora in multis sibi
inaequales sunt) sit societas, sine apta et bene digesta coordinatione
hominum tam variorum esse non potest.

§. II. Nempe inaequalitates morales, superioribus Aph. notatae,
partim innoxie in tam adstricto coetu retinentur; partim ob inter-
esse status paululum immutandae et determinandae sunt; partim ob
eandem rationem status nouae superaddendae sunt. Hinc tripliciter
princeps circa inaequalitates hominum in ciuitate uerfatur; aut na-
turales illas plane retinet, aut paululum immutat et determinat, aut
nouas superaddit.

§. III. Status ciuilis non tollit eum statum, in quo homines per
naturam sunt, et sine ciuitate essent, sed hunc potius ad commodio-
rem cohabitationem inflectit et dirigit. Hinc ubi finis hic non im-
peditur, naturalia remanent, et uel plane non attenduntur a magistra-
tu, sed cuiusque humanitati relinquntur, uel lege publica confirman-
tur. Idem de inaequalitatis moralis speciebus ualet. (uu)

B 3

§. IV.

(uu) u. g. quando homo corpore uel animo amabilis perfertur aliis, in exhibi-
tione officiorum humanitatis, non perfecte debitorum, ut legatorum,
stipendorum, donorum; haec inaequalitas non demum in ciuitate ori-
tur, sed ante eam fuit, hic uero retinetur, donec statui publico noxia fiat. Seni
et sapienti, ceu aliquatenus superiori, cedere, non modo non prohibut
sed potius praeceptum est lege nostra ciuili, quod uel ex legg. XII. tabb. patet.

§. IV. Quando uero rationi status publici (xxx) commodum aliquod accedit, uel incommodum resescatur, si illae inaequalitates moderentur, et certo modo ualeant; princeps iis recte modum ponit, et lege publica indicat. (xx) Cauendum enim in omnibus actionibus ciuium est, ne princeps in imperando impediatur, et ne inter ciues discordia sit, sed ut omnes ita ordinati sint, ut bene ipsis esse queat.

§. V. Requirit deinde structura corporis ciuilis, quod principe ut anima, et ciuibus ut corpore constat, plane nouam inaequalitatem; tum 1. Inter principem et ciues, tum 2. inter ciues et ciues.

§. VI. Primo cum princeps causam omnium publicam suo arbitrio procuret, necesse est, ut omnibus quoque ciuibus uoluntate praeuealat, iisque imperet, coactione etiam, ubi opus, adhibita. Qui uero ita libere agit, et aliis agendi leges praefcribit, maior certe est illis, qui non libere agunt, sed in agendo ab eius praescripto dependent. Hinc praeerogativa principis prae ciuibus. De qua et illi suo gradu participant, qui principis uice et nomine aliis mandant: qua tales enim aliis maiores sunt; extra hunc actum uero praeerogativa haec non ualeret, nisi forte ad aestimationem honoremque personae, pro officii praestantia. (yy)

§. VII. Praeterea quoniam princeps tam eminentis gerit officium, etiam extra imperandi actum spectata eius persona eminentia dignitateque prae omnibus gaudet, (zz) et uariis fruitur praecepitis iuriis, quae uel ad imperandi potestatem necessaria sunt, (aaa) uel a ciuibus singulis pacifice percipi nequeunt. (bbb) In his iterum ciues praeestat. Qua praestantia suo modo et gradu fruuntur illi, qui de principis familia et aula sunt, idque eo magis, quo propiores principi sunt; (ccc)

dein

(www) Ratio status est actuum imperandi exercitum expeditum, et ciuium pax, ac ad necessitates publicas prompta habitudo. (xx) e.g. posthastitio ob turpe factum in ciuitate nostra, ordinis gratia, restringitur capitis diminutione et aliis legibus: Mulieres uiris indigniores habendae, sed quibus in rebus et actibus, leges ciuiles determinant. Prior tempore potion est iure: quanam tamen iura prior natura quandoque habere debeat, lege disponitur accurate. (yy) Ita confuli in officio suo uersanti propter principem deberunt obedientia et subiectione; et extra hunc actum nihilominus reuerentiam merebuntur ob dignitatem officii. (zz) Si in uitiae periculo constitutus, uita eius uel aliquorum morte seruanda est. (aaa) In iuriis in priuatum, leuiter; in principem, capite plectitur. (bbb) u.g. Venatio, monetae excusio. (ccc) coniux, filii, legati, ministri, serui, suo gradu de dignitate, licentiaque hac participant: proinde splendore insignium, uestium, non immer-

dein et ii, quibus ille de suo iure aliquid concedit, (ddd) aut tantum committit. (eee)

§. VIII. Secundo inaequalitas mere ciuilis ciuium inter se constituit a principe, cum iis officia et iura distribuit ad utilitatem reipublicae.

§. IX. Omnes ciues ad obtainendum finem publicum habent suum officium, quilibet tamen suo modo 1. Alii enim principem consilio et opera in aula iuvant; 2. Alii extra aulam hic illic in regimine et publicis negotiis succurunt ei; siue immediate ab illo, siue mediate per alios magistratus constituti; 3. Alii, extra haec publica munia constituti, parent, et de rebus, labore suo partis, ad publicam utilitatem conferunt, negotiis priuatis operam dantes.

§. X. Haec officia bono ordine et iuribus necessariis afficienda a principe sunt. Quae iura babeant ciues primi et secundi ordinis, uidimus ab hinc §. VI. et VII. Quae uero iura iis tertii ordinis competant, facile est iudicare. Nempe cum praecipua eorum cura uersetur in negotiis propriæ utilitatis, ad aliquid inde publico solendum, cuique in negotio et arte sua peculiaria, et aliis non concessa iura et priuilegia, quibus ad eam exercendam commode opus habet, concedenda sunt. (fff)

§. XI. Sed et hic nihil sine necessitate. Nam quo magis aequa licentia et aequum ius inter ciues est, eo maior floret concordia. (ggg) Hinc officia et negotia ciuium ad utilitatem singulorum et omnium dirigen-
da; et quae iura dantur, aut ad officium exercendum commodius fac-
ciant, aut praemii et incitamenti necessarii causa dentur.

§. XII. Quod uero haec officiorum et iurium distributio non omnibus aequa fiat, causa est, quod structura reipublicæ non permitrat, omnes agere idem; accedit quod non omnibus eadem est capacitas, s. naturae s. fortuae; (bbb) nec ab omnibus eodem gradu utilis, uel uulgo aestimata, (iii) opera exercetur. Ergo cuilibet suum.

§. XIII.

to distincti ab aliis. (ddd) Quando quis iure uenandi, metalli fodiendi, gaudet. (eee) Velut uenatoribus ordinariis (fff) huc refer Nobiles, Palatinos, Doctores etc. Ita quolibet collegium opificum habet suos articulos, sua iura præ aliis opificibus. Mercator et Eruditus plura habent priuilegia, quam tutor, cum illi utiliorem artem exerceant. (ggg) Sit in iure ciuili finis hic, legitimae atque usitatae in rebus causisque ciuium aequalitatis conservatio, ait Cicero lib. I. de Orat. Et si haec non, quantum fieri potest, obseruetur, ciuium oritur superbia et licentia, et ex depreffâ parte inuidia. (bbb) Non quilibet potest fieri Cancellarius, aut consiliarius, aut minister ecclesiae etc. aptitudo adesse debet. Sic nobiles, tanquam splendide nati et educati recte in splendidis officiis aliis præ feruntur, si apti sint. (iii) Ita lictores, carnicices a multis iuribus excluduntur.

§. XIII. Itaque ciues sibi inuicem reuera ualde sunt inaequales, cum huic concessum sit , quod alteri non, uel minori gradu: Praeter ea uero et minus realis peneque ceremonialis praerogativa in ciuitate studiose obseruantur, quae ceremoniis et aliis signis honorabilibus absolvitur, uelut titulo, uestitu, insignibus, et uel reali illi iuri (mmm) adhaeret, uel ad aliquem pertinet sine alio iure. (nnn)

§. XIV. Hic *praecedentia* imprimis eminet, qua ordine et prioritate ciuis cui cedere debet, in actionibus liberis et utrius simul communibus, aliter nondum ordinem nactis, (ooo) uti est seſſio, statio, etc. (ppp)

§. XV. Indigesta moles ciuitas esse non debet; quare et ibi quisque habet suum ordinem, uel ob officium publicum, aulicum et ciuile; (qqq) uel, ubi res dubia, aut extra officium publicum aliquis sit, ob priuilegium principis, aut consuetudinem confirmatam; (rrr) uel ceterum, ob ordinem in sua speciali societate uel collegio seruatum. (sss)

§. XVI. Omnia hic a principis determinatione dependent, sed si eius voluntas expressa desit, consuetudo consulenda est. (ttt)

§. XVII. Haec breuiter de Inaequalitatibus idea. Si nimis breuiter; scias, me primas lineas tradidisse: si non adeo ubique accurate; scias, me non multos habere in hac non inutili plane materia praeceſſoreſ.

(mmm) Velut insignia Rectoratui academico. (nnn) u. g. Titulus Baronis. (ooo) u. g. Prior tempore in emtione praecedit, quisquis fuerit. (ppp) Sufficiat illam fusissimam doctrinam de praecedentia hic tantum tangere, plura uideas apud I. Gothofredi, Chassanæum, Sperantium, Gerdesium, et Magnif. D. Hornium, in quaest. super hac materia. (qqq) Nostro more post principem et fuos, sequuntur confiliarii, deinde ministri ciuitatis publici caeteri, prout eorum officium potestate et iure amplius est; uel prout a principe uel aula dependent proximus, aut per alium magistratum iam dependentem constituti sunt; uel prout ad maiorem uel minora oppida etc. pertinent. Etc. (rrr) Priuilegiati inferuntur adminiſtriſ publicis uarie: u. g. Nobiles et Doctores alicubi Superintendentibus praeualent, licet hi sint ministri publici. (sss) Societas ampliores (u. g. oppida maiora) praecedunt minoribus; hinc etiam membra. Praeterea societas speciales et collegia suum quoque inter ſe habent ordinem; praeter superiores enim, a principe conſtitutos, habent fuos ministros, membra, feruos etc. (ueluti nostra municipia habent poligraphum, ciues, lictores etc.) inter quos ob uarias, in statutis nominatas uel consuetudine confirmatas, rationes praecedentia fit. (ttt) Lites de praecedentia sunt infinitae et non faciles ad folendum: hinc ICTI in ſubſidium uocare ſolent consuetudinem ſ. obſeruantiam, ita ut quis interdum, uno actu pacate exercito, uſucpiat.

Wittenberg, Diss., 1715

ULB Halle
005 390 001

3



Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8
Blue								
Cyan								
Green								
Yellow								
Red								
Magenta								
White								
Black								

Farbkarte #13

B.I.G.

NES MORALES 24
DE 1715. 12
ALITATE
INVM, 17
VAS
PICIIS
PRINCIPIS REGII,
AVGVSTI,
IFICENTISSIMI, ETC.
VITTEMBERGENSI
R. A. MDCCXV.
Q. C.
ERIAM
ONIS PVBLICÆ
OLVNT
ESES
R. KRANEWITTER
NIC. TH. C.
SPONDENS
TVRTZ, BICINA-SILES.
L. STVD.
TERIS KREVSIGIANIS.